primus & *summus*, qui *nobis ex sinu Patris cuncta mysteria salutis* ἐξηγήσατο, Joh. I. 18. *Enarravit & Explanavit.* Siquidem *hic* λόγος *est apud Patrem*, Joh. I. 1. *in Patre*, Joh. XIV. 11. &c. *cum ipse cum Patre dicitur Idem*, Joh. X. 30. Ejusdem superioritatis sublimitatis & auctoritatis.

§. VIII.

Et *vere universale*, *quia* Compendium hoc statim in Paradiso, totius humani generis *auditorio*, statim ad perpetuos universales omnium & singulorum hominum usus est publicatum, *quia* primis hominibus, tanquam *Catholicis* omnium posterorum *Doctoribus* est commendatum. Tertio, *quia* cuncta de Protoplastis, tanquam fatoribus totius humani generis sunt proposita vere *Catholicum* omnium hominum *usum* requirunt. Quarto *Catholica* posterorum omnium, ratione *substantiæ*, *participatio* ex necessitate quadam, ita pariter *origo doctrinalis*, & imprimis *doctrinæ salutaris Catholicum ortum* ante se requirunt, *quia* juxta primi Doctoris intentionem & traditionem *doctrina Protoplastorum* est *doctrina Posterorum*, & de jure *doctrina posterorum* est doctrina *Protoplastorum*, cum *unus* sit omnium *Redemptor*, *unus* pariter *Doctor*. Plurima quidem παρεγομένων loco circa *Compendii* fundamentalis explicationem & commendationem adferri possent, sed multis de causis brevitatis in præsenti commendatur studium. Ea de causa pariter in ipsa tractatione summam tantum Christologias paucis, & quoad præcipua capita saltem annotabimus, & allegabimus, ad pleniorem evolutionem aliis commendabimus. Sufficiat igitur brevis introductio mysteriorum Christologias, prout in Compendio nostro sistitur, & ex universis *sacrarum literarum Pandectis* contrahitur. Nam inter *Thesin*, & *Exegesin*, inter *principium*, & *principatum*, inter *fundamentum*, & ejus *consequentia* justa reperitur, vel conveniens identificatio. Nam

 quod